QVÆSTIO
DE
CORPORVM COELESTIVM PROGNOSI,

A

M. LAVRENTIO SWICZKOWIC,
In alma Academia Cracouien. ad disputandum publicè proposita.


In Mense Martio, Die 29. Horâ 12.
Anno D. clɔ Iɔc XXIII.

Permissu M. D. RECTORIS.

Disputabitur in Lectorio DD. Theologorum.

CRACOVIÆ,
In officina Typogr. Matthię Andreouiensis.

In Stemmata Acad: Crac.



Regia Sceptra tenes, Regum fundata labore,
Et Regum nutrix, Regia Sceptra tenes.

Almæ Academiæ Cracouienſi, virtutum & artium bonarum per totam Sarmatiam Matri,

M. LAVRENTIVS SWICZKOWIC, S. & omnem fælicitatem P.

Magnifice Domine RECTOR, *Patres Reuerendi, Doctores Excellentiſsimi, Magiſtri Venerabiles.*

VIrtutum & artium, non dicam Græciæ, ſed totius orbis, emporium illud vrbs Athenæ celeberrimum, licet alios inquirendę ſuorum ciuium vitę magiſtratus haberet; Areopagum tamen vnum, nullis paraſangis verborum ſatis vnquam celebratum conſilium, appellare & habere voluit ſanctiſsimum. Et meritò: Sanctiſsimè enim inſtituto eius virtutum, quarum eſt vberrimum alimentum honos, ſtudia & labores oleâ publicè exornabantur. Athenæ Sarmatiæ, Academia noſtra, cuius vos eſtis Senatores magni & optimi ciues, inter cætera ingeniorum eruditionis & virtutum plurima licet, quæ in conſequendis honoribus exercentur publicè & priuatim examina, hoc vnicum diuinitus

nitûs certè longè sanctissimum ordinauit, & sanciuit institutum, quo in viris ordini suo adscribi contendentibus, propositis in publicũ quæstionibus, specimina virtutum ingeniorumq; fæcundissima magis ac magis eniterent. Huic instituto cùm animus libentissimus obtemperare mihi sit, alios inter competitores prodeamnè ego quoque? & an quæstionem ex iis Philosophiæ partibus, quas excolere percupio, disputandam proponam? Abhorrebat quidem animus, dum vel ingenii geniiq; mei vires ad trutinam Hermetis exiguas satis in conspectu consessuque amplissimo vestro expenderem, vel existimationem non apud imperitorũ vulgus, sed sapientissimos, vno Ioue minores viros, nomophylaces æquissimos, concipiendam de me qualemqualem considerarem. Verùm officium vestrum, virtus, prudentia, & beneuolentia propria vobis in omnes omnium virtutum & artium bonarum bonos & eruditos cultores, me animauit, animatum erexit. Bonâ ergò spe, bonisque auibus in Palæstram istam Mineruæ dum prodeo, quæstionem de Prognosi futurorum contingentium ex syderum obseruatione expromo, quæ iucundiorné sit an difficilior primâ fronte nõ constat. Iuuat quidem omnes homines naturaliter scire desiderare: at causas effectuũ, præsertim qui esse vel non esse possunt, rimari & venari, vel ipsi Atlanti cœlos intuenti, perquam difficile! De reliquo vestrum

iudicium

iudicium erit, ô Proceres Academiæ magni, quorum numen & nomen, totum per Septẽtrionem, magnum, tutelare mihi aſſumendum duxi. Quamobrem adeſte & quæſtionem vobis à me dicatam, benigno aſpectu aſpicite, & paterno ſinu accipite; neque tum à vobis omnium ſcientiarum Profeſſoribus & patronis, cum à me Phyſica cum Matheſi tractantem, alienã fore putatote. Ita cùm veſtra affulſerit gratia, fiet profectò, vt maioribus à vobis accumulatus honoribus, pro viribus animi omnibus omnem moueam lapidem, talem me videri velle & eſſe, qualem inſcriptum ordini veſtro vnum quemque fore ſapientiſsimè exoptatis. Valete longùm incolumes, Religioni, Patriæ, Academiæ, nobis. E Scholâ D. Floriani V. Calend. Mart. Anno Domini, clɔ. Iɔc. XXIII.

Jurczkowicz forte Senior e Schola D. Floriani Ano 1623

QVÆSTIO.

V. Corporum cœleſtium materiâ & formâ diuerſæ rationis à ſublunaribus, in quæ agunt, compoſitorum, motum, lumen, & influentias comtemplantes Aſtrologi, futura contingentia prædicere poſsint nec nè?

CONCLVSIO I.

Corpora cœleſtia ex materiâ & formâ tanquam ſuis partibus componentibus, ſunt compoſita.

COROLLARIA.

1. *Corpora cæleſtia non repugnat etiam dicere ſimplicia, cùm non ſint compoſita ex contrariis, neque reſolubilia in alia corpora.*
2. *Forma cæleſtis indiſſolubilem habet nexũ cum materiâ.*
3. *Datâ materiâ in corporibus cælorum, dari quoq; in ijs quanti-*

quantitatem ex se terminatam & immutabilem, est necessarium asserere.

4. *Præter quantitatem, corpora cælestia sensibiles qualitates habent citra omnem corruptionem.*

5. *Corpora cælestia ex suâ naturâ immutabilia incorruptibiliáq; sunt.*

6. *Mutari tamen posse post extremum iudicij diem ex sententiâ Theologica concedimus.*

Conclusio. II.

MAteria cœlorum est diuersæ rationis à materiâ rerum sublunarium.

Corollaria.

1. *De ratione materiæ cælestis est, non esse in potentiâ contradictionis; Contrà de ratione materiæ rerum corruptibilium intelligendum.*

2. *In materiâ cœlesti cùm nulla hæreat priuatio, nullus etiam appetitus alienæ formæ est.*

3. *Materia cælorum perfectior & nobilior est materiâ elementorum.*

4. *Incorruptibilia corpora, licet habeant materiam nobiliorem elementari; ignobiliora sunt omnibus, quæ habent aliquem gradum vitæ.*

5. *Materia omnium cælorum est eiusdem speciei; sic & for*

mæ eorum

mæ eorum ſubſtantiales ſolo numero differentes.

6. *Intelligentias orbium cælorum motrices aſſiſtentes appellare placet.*

Concluſio III.

Corpora cœlorum, quamuis diuerſæ compoſitionis à ſublunari mundo, in eum tamen agunt.

Corollaria.

1. *Motus, lumen, & influentiæ non ſolùm actionis ſunt inſtrumenta cœleſtis in hæc inferiora, ſed præſagitionis quoque cauſæ.*
2. *Si corporum cæleſtium ceſſarent motus, alij quoq; puta inferiorum ceſſarent motus.*
3. *Cauſæ particulares inferiores ſunt eſſentialiter ſubordinatæ in agendo corporibus cælorum, tanquam cauſis vniuerſalibus & æquiuocis.*
4. *Etſi in ordine ad cælum, nullus ſit effectus contingens in hiſce inferiorib. per intrinſecam virtutem ipſius cæli; tamen aliquid caſu euenire poteſt.*
5. *Motus in cælorum orbibus quadruplex deprehenditur, 1. à primo mobili* νυχθημέρινος *ſuper polis mundi, ab oriente occidentem verſus. 2. à Cryſtallino, priori contrarius, ſuper polis Zodiaci, & per circulum Zodiacum, qui abſoluitur 49000. annorum ſpatio. 3. à Firmament*

ment

mento (cui præter duos enumeratos proprius est, absoluiturq; 7000. annorum) Accessus & Recessus à meridie versus Septemtrionẽ, qui etiam cõmunicatur subiectis sphæris.

4. Singulorum septem errantium proprius certo tempore definitus, quiq; quò propior primo mobili, eò tardior, quò remotior, velocior. Alioqui omnes planetæ rapiuntur à superioribus ob concentricitatem suorum totalium cum illis. Contrà inferiorum Planetarum non rapiuntur, quòd eorum Deferentes sint Eccentrici.

6. *Lumen suâpte naturâ efficiens, quem continet eminenter, calorem, & quò directiùs radiet, actu magis calefaciens, secundum suam substantiam non est ipsum calidũ.*

7. *Influentiæ occultæ præter alios effectus, sunt quoque productiuæ causæ in terræ visceribus mineralium generis varij.*

8. *Singulis septem Planetis peculiares influentias cum Ptolemæo tribuimus. Cum autem dicimus septem Planetas, dissentimus à Galilæo, & quibusdam recentioribus Ioui quatuor, veluti Satellites ipsum circumdantes, motu, magnitudine, & distantia varios, Saturno duos | Inferimus hinc & fixis stellis inesse vim agendi præcipuam in hæc inferiora.*

9. *Apparentibus etiam stellis, quas Cometas vocamus, influxum non omninò proprium negamus.*

Conclusio IV.

Con-

Contemplantes cœlos Arologi, & aſtrorum Syzygias diligenter obſeruantes, futura cõtingentia prædicere poſſunt.

Corollaria.

I. *Contingentia futura eſſe vel non eſſe poſſunt ex vi ſuæ cauſæ, ſuntq; media inter neceſſarium & impoſſibile.*

2. *Secundum quid ſeu naturalia contingentia impediuntur aliquando, vel ratione ipſorum cauſæ materialis variam diſpoſitionem habentis, vel ratione efficientis cauſæ vnius aut plurium concurrentium, ſed non collectiuè, inter quas referimus ſitus configurationum cælorum à Ptolemæi vel aliorum temporibus diſſimiles, ex quorum ſenſu & obſeruatione ars prognoſtica fuit nata.*

3. *Aſtronomiæ certiſſimis innixi demonſtrationibus Mathematici ſyderum, Planetarumq; omnium ortus, occaſus, aſpectus, eclypſes ſolis & lunæ, aliaq; id genus ad cæli ſtatum pertinentia certò multoq; antè prædicunt. Quinimò*

4. *Effecta quoq; naturalia probabiliter prænunciare poſſunt.*

5. *Inſpectâ etiam conſtellatione nati, temperamentum & hoc accidentia concomitantia, necnon inclinationem ad affectus præcognoſcunt.*

6. *Aſtro*

6. *Astra cùm in intellectū & voluntatem hominum directè non agant; actiones liberas & contrarias inclinationibus præsciri posse omninò negamus. Frustra ergò Mesahala, Aomar, Zaël, Dorotheus, Alkindus, Alcabitius, Hali, cæteriq; damnatæ Astrologiæ auctores, præter absurda alia, cogitationes hominum etiam inuestigare docent.* Nota

7. *Qui vult Astrologiam cum honore & laude profiteri, oportet eum præscriptas duodecim boni Astrologi à Ptolem: lib: 1. Quadripart. conditiones seruare.*

8. *Multi multa effectu ipso comprobata Mathemathici prędixerunt veni, quorum vel ab antiquis, vel recentioribus sumpta exempla infinitū recensere esset.*

9. *Hęc omnia ita asserimus euenire absq; necessitate, saluâ semper libertate: Dum enim actionē corporibus cœlorum tribuimus, coactionem negamus, licet impulsum concedamus.*

Conlusiones ex Trigonometria.

PER *Trigonometriam, Geometrię partem, vulgò nuncuptam, omnia dimensionum genera, quę sunt Altimetria, Planimetria, & Stereometria, commodè & rectè tractari absoluiq; possunt.*

Dimensionis Trianguli, quod definitur esse figura

tribus angulis totidemq; lateribus terminata, vt est obiectum Trigonometriæ, media duplicia sunt Theoretica alia, alia Practica.

Media Theoretica Trigonometriæ, quæ plurima sunt, in contemplatione proprietatum linearum & angulorum, vel absolutè, vel limitatè consideratorum, includuntur.

Considerantur autem absolutè lineæ & anguli, quatenus in superficie plana vel sphaerica simpliciter existunt absq; figura Geometrica. Limitatè verò, quatenus vel termini Triangulorum sunt, vel rectæ Circulo inscriptæ.

Media Trigonometriæ practica sunt duo tantum, Syntaxis Canonis Trigonometrici, & Calculus qui per Canonem subducitur.

Vt tota Geometria ita & Trigonometria, tanquam in fundamento praecipuo suo, fundatur in illâ praestantissimâ & verè aureâ Prop. 4. lib. 6. Elementorum Euclidis, Triangula similia sunt lateribus æquales angulos comprehendentibus proportionalia. *Quippè basis est omnium, quæ terrâ, mari, cœlo, fiunt, dimensionum.*

Laterum & angulorum dimensio est Trigonometriæ finis.

Sub fælicibus auspiciis Admodum Reuerendi & Magnifici Domini M. BASILII GOLINII, Sacræ Theol. Doctoris & Professoris, Canonici Crac, Facultatis Theol. Decani. Generalis Academiæ Crac. RECTORIS.